ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Amplissimo Domino, et Cognato

tardior sum in scribendo, non quia argumentum sed tempus deest. Pro hac vice dicam quid sentiam, de studiis, moribus et indole tui filij. Iuvenis ille sponte sua fertur ad omnia praeclarissima, horas suas bene impendit, et fructuosius etiam, si non nimiis audiendis adstringatur lectionibus, nam etsi fateor perpetuum studiosum debere esse mobile, tamen teneriores illae mentes si evagentur aut semper in serijs sese fatigant, ~~et~~ nusquam se firmiter sistunt et pauca stringunt. Lectionem Graecam illi publice audiendam non puto, nec, si velit, cum fructu poterit. Hora decima melius posset collocari. Quod si igitur hac methodo procederet. Hora sexta plerumque surgat, ad semi-octavam Iuris pridianas lectiones repetat et relegat: Hora octava Dauberum audiat, quem virum permagni aestimo, quia in illo multa simul conspirant ad promotionem juris et inter reliquos Professores inculpatissima vita studiosis praelucet. Nona solmetur audiendo Bornio qui hactenus tantum semel in philosophicis legit, est enim valetudinarius ~~et~~. Decima privatim exercitiis domesticis in Ethica vel Oratoria, ad quam videtur cum affectu quodam propendere. Undecima Dauberus illum privatim cum Berckio domi suae exercet; et quanquam illa historicae lectioni sit destinata, tamen salvo tuo judicio plus a Daubero quam pro hoc tempore a Philemone discet. Pomeridiana secunda Pellius audiatur, ad eam deinde respiret, reliquas det Collegio juris privato vel mathematicis exercitiis; ~~et~~ post coenam cum meo Frederico Iurisconsultum agit. Occasio tam prona in jure non est negligenda apud illum Professorem, qui in antiquitates Romanas suos cum delectatione penitius introducit. Indoles eius mihi perplacet, nam supra suam aetatem et reliquos gravis est, nec peccat multiloquio, nec inconditis gestibus alijs malo est exemplo. Aliquoties illum invitavit Drossardus, etiam alij, hodie Crocxius, et nulli gravis, omnibus gratus a me pro merito suo aestimatur. Communicato cum DD. Curatore Riveto consilio, illi in subsellio professorali cum Barombis, Stanhopio, Hauwardo tertium assignavi scamnum, ut ~~cum~~ siquando nostris velit interesse concionibus, habeat stabilem et don~~atum~~ oratum locum.

Utinam

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521

ACAD. LUGD. BAT.

Utinam eandem de reliquis spem concipere possem. Duo illi Roterodamenses prorsus moribus ἄγροικοι sunt, et vix ac ne vix quidem latine loqui sciunt. Dummodo tamen Pro-Regens aptus sit ad suam spartam cum incolumitate ornandam, non despero de illorum profectu. Progredior paucis ad Communia. Professores desiderant, ut vestra prudentia, Celsissimorum Principum favor nobis impetret proprium forum, et tutos in circumvicina loca pro Studiosis excursus: Si accedat vectigalium immunitas, magnum habituri sumus confluxum. Omnia hactenus hic tranquilla.

Tuae Ampl. addictissimus omni affectu cliens [illegible]

16 Januarii Bredae

Sigillum Ill. scholae desiderat [illegible] ut [illegible] illud, sibi [illegible] [illegible] [illegible] habet in [illegible] [illegible] [illegible], et alijs libris.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521

Myn Heer

Myn Heer Constantinus Huygens
Ridder, Heere van Zuylichem,
Raet, ende Secretaris, van
Syne Hoogheydt, Curator
van Illustre Schoole en Colle
gie van Orangien te Breda

Per amys

S Graven-Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Renesse) 40
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4521